



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. vnica. An Collatio Ordinis sit etiam immediata collatio Jurisdictionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

gant. Mihi certum est, quod pœnitens non satisfaceret dicendo: *occidi*, quia deciperet Confessarium, qui non nisi vnius hominis necem supponeret, quia hic est communis modus significandi per illam vocem. Quod si ergo dicat, se plures occidisse vno impetu, nemo Confessarium est, qui non agnoscat obligationem interrogandi numerum. Disparitas autem cum furto est,

quod numerus occisorum non ita coalescat in vnum, sicut plures quantitates pecuniarum eidem domino ablatae. Sed de hoc videatur citatus Author, & P. Andreas Mendo differt. 2. q. vn. & apud hos alij citati, quorum infinitas replicas non vacat huc referre, ob exiguum huius questionis vtilitatem, vt dixi.

CAPVT IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI
POENITENTIAE.

CONTROVERSIA VNICA.

An collatio Ordinis sit etiam immediata collatio Iurisdictionis.

1022. **C**ertum est 1. Solos Sacerdotes esse Ministros idoneos ad absolvendum, vt habetur in Trid. sess. 14. c. 6. & ideo non possit nunc tollerari sententia Magistrum in 4. dist. 17. a. 3. cui quidem videtur accessisse S. Thomas q. 3. a. 3. quæst. 2. his verbis. [Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem habet duplicem Ministrum, vnum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem, alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur, & ita etiam Minister pœnitentiae, cui confessio facienda ex officio est Sacerdos, sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, vt ei confessio fieri possit.] Obijci possent quædam verba Cypriani l. 3. ep. 17. [Si quis, inquit, oppressus infirmitate non potuerit expectare adventum Sacerdotis, reconcilietur per Diaconum, factâ prius confessione.] Verum Cyprianus loquitur de quadam reconciliatione externâ seu in foro externo, quæ tunc erat in vsu, & fieri poterat per Diaconum.

Certum est 2. Sacerdotem in ordinatione sua accipere potestatem quandam saltim incompletam, & omnino requisitam ad absolvendum sacramentaliter, quæ potestatis collatio significatur per verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Certum 3. Iurisdictionem absolutam & expeditam ad absolvendum, aliquo modo distingui à potestate Ordinis, tanquam totum à parte. Nam potestas Ordinis potest existere sine potestate Iurisdictionis, sed non e contra. Omnes enim Sacerdotes habent potestatem Ordinis, non tamen hoc ipso habent Iurisdictionem expeditam in omnes Christianos, & omnia peccata eorum: debent enim aliqui prius approbari ab Ordinario, vel consequi Officium, cui sit connexa ordinaria

Iurisdictionis, cæteris verò debet Iurisdictionis delegari. Imò in aliquo sensu potest dari potestas Iurisdictionis sine potestate Ordinis, non quidem Iurisdictionis absolventi per se, sed per alium à se delegatum, vt si quis eligitur in Episcopum, vel consequitur beneficium curatum, & necdum habet ordinem Presbyterij.

1023. Controversia est, an quando conferatur potestas Ordinis, etiam conferatur potestas Iurisdictionis, saltim inchoata vel conditionalis. In qua sunt tres Opiniones, quarum priores duæ non differunt nisi in modo loquendi, tertia verò differt reipâ.

Prima ergo Sententia docet, conferri etiam tunc Iurisdictionem, sed cum quadam indeterminatione subditorum & causarum, hoc est, nullos determinando subditos & peccata, & ideo non potest illa Iurdictio exire in actum, nisi prius designentur certi subditi, aut peccata. id quod Vasquez conatur explicare exemplo quorundam Tribunalium. Itaque Pontifex vel Episcopi postmodum designando certa genera peccatorum, alijs reservatis, item designando certos homines, faciunt, vt Iurdictio in Ordinatione accepta possit exercere actum Iurisdictionis.

Secunda Sententia differt à prima præcisè, quod hanc designationem & determinationem velit vocandam esse veram collationem Iurisdictionis, & sic ait Iurisdictionem differre à Potestate Ordinis, quæ aliud non est quàm capacitas Iurisdictionis.

Tertia est P. Arriaga & Esparza: per Ordinationem conferri immediatè Iurisdictionem in omnes omnino homines, & omnia peccata, sed sub conditione, non quidem sub conditione designationis, sic enim coincideret cum prima Sententia, sed sub conditione hac: nisi à Pontifice

Pontifice vel alijs superioribus certa persona extrahantur, & eximantur à Iurisdictione vniuersali, quod idem de certis peccatis dicendum est. Vnde sequitur, quod si nullæ fierent exemptiones, vi Ordinis omnes haberent æqualem Iurisdictionem, & possent quoslibet à quibusvis peccatis absolvere; cum tamen in prima Sententia neminem possent sine designatione; quæ est utiq; realis differentia.

Pro tertia Sententia videtur primò stare sensus verborum formæ, quæ traditur potestas Ordinis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c.* quæ verba significare videntur ejusmodi potestatem completam, & vniuersalem, quia Christus illis verbis contulit Apostolis talem potestatem, & significavit: verba autem Sacramentalia tantum operantur quantum significant: ergo eundem significant effectum, siue à Christo, siue ab ejus Ministro legitimo proferantur.

Deinde omnes Sacerdotes habent ejusmodi potestatem in Venialia peccata, & mortalia semel confessa: non autem habent ex speciali concessione Pontificis, aut Inferiorum, cum de nulla constet: ergo habent ex vi Ordinis, non impediti exceptione aut limitatione contraria.

Contra hanc tamen Sententiam maximè facit communis, & recepta divisio Iurisdictionis, in Ordinariam & Delegatam: in hac autem Sententia non videtur vnquam dari Iurdictio delegata propriè. Nam Iurdictio delegata est illa, quæ legitimè confertur ab habente Ordinariam, & non convenit ratione Officij: atqui nullus Sacerdos haberet hoc modo delegatam Iurisdictionem, quia nulli conferretur ab habente ordinariam, sed tantum non limitaretur illa, quam vi ordinationis accepit vniuersalem & ordinariam.

Quod si dicas, ideo tales habere Iurisdictionem delegatam, quia illa vniuersalis quam acceperunt limitabilem in Ordine, fuit ab Ecclesia prius limitata, ut non posset exerceri, nisi in Venialia & Mortalia jam confessa, deinde verò hanc limitationem, quasi iterum laxari ad certas personas, & peccata. Contra est 1. quia sic fieret per ambages & circuitum, quod fieri posset rectà viâ & brevissimè, scilicet ut nullam Iurisdictionem vi Ordinis habenti, sed solam capacitatem conferatur Iurdictio, sic vel sic limitata. Certè negari non potest, hunc modum magis esse juxta communem hominum conceptum. Contra est 2. Quia sic nemo præter Pontificem haberet Iurisdictionem ordinariam, quia omnes habent Iurisdictionem aliquo modo limitatam. Contra est 3. Quia, ut advertit P. Dicastillo, hic modus explicandi inducit modum loquendi nimis improprium: v.g. quando Princeps aliquis est excommunicatus, habet vinculum suæ Iurisdictionis, quando deinde absolvitur ab excommunicatione, non rectè diceretur illi conferri Iurdictio: ergo solvi impedimentum non est conferri Iurisdictionem.

1024. Omnibus consideratis magis propendeo in tertiam Sententiam, quæ ut melius intelligatur, declaro illam exemplo nisi fallor idoneo. Magistratus Academicus Ingolstadiensis habet Iurisdictionem vniuersalem, & ordinariam in Studiosos, non solum in Civilibus, sed etiam Criminalibus, hac tamen cum limitatione, quod certas causas graviores possit Serenissimus Elector, si videbitur, ad suum Tribunal avocare, quæ Avocatio aliud planè non est, quàm quod est peccatorum Reservatio pro sacro Pœnitentiæ Tribunali. Porro illa avocatio ita ligat & impedit Iurisdictionem Academicam, ut tamen negatio avocationis non possit vilo modo vocari collatio Iurisdictionis: est enim tantummodo non impeditio Iurisdictionis jam prius convenientis ratione Officij. Ità se res habet in nostro casu. Omnis Sacerdos vi ordinationis accipit Iurisdictionem vniuersalem, sed cum hac limitatione necessariò subintelligenda (sine qua esset perniciosissima collatio vniuersalis Iurisdictionis omnibus sine discrimine Sacerdotibus) nisi à magistratu superiore certe causæ avocentur. Porro phrasis Theologorum est, quod in quocunque casu Sacerdos non possit absolvere, talis casus sit illi reservatus. in quo sensu querunt; an peccata venialia, vel mortalia confessa possint reservari, cum defacto omnes Sacerdotes possint ab illis absolvere? Si ergo omnis impotentia Sacerdotis ad absolvendum proveniat à reservatione seu avocatione, & omnis avocatio præsupponit Iurisdictionem talem, ut si non fieret avocatio, hoc ipso posset exerceri, consequens est, omnem Sacerdotem accipere Iurisdictionem immediate per Ordinationem.

1025. Obijciens. Absurdum planè est dicere, quod ab illo, cui à suprema potestate concessa est vniuersalis Iurdictio, avocentur deinde ab inferiore Magistratu omnes ferè causæ, paucis relictis, ipsæ solummodo, quæ ita sunt Iurisdictionis voluntariæ, ut reus non teneatur subire iudicium: atqui hoc fieret in casu nostro. Christus enim contulisset Iurisdictionem vniuersalem, cum potestate facta Ecclesiæ aliquas causas avocandi: Ecclesia autem avocaret omnes causas, exceptis peccatis venialibus & mortalibus jam confessis. 2. Imò Ecclesia non avocat ad se vllam causam, hoc est, vllam personam, nec vllum peccatum reservat pro illis circumstantijs, per quibus per se & præcisè ex institutione Sacramenti est hoc Sacramentum sub præcepto. Omnes enim Sacerdotes habent Iurisdictionem absolutam & expeditam in omnes personas, & peccatum pro articulo mortis, saltè quando non adest proprius pastor; imò ex multorum probabili Sententia, quam fusè propugnat P. Dicastillo, etiam præsentente parochia. ità expressit Tridentinum sess. 7. his verbis: [Pietè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei constitutione semper fuit, ut nulla sit, NB. reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris]

furis absolvere possint.] Ecce! ex sola non avocatione, seu non reservatione, infert Concilium Iurisdictionem absolventi universalem: ergo supponitur hac prius collata: ergo vel immediate à Christo, per Ordinationem, vel ab homine. si illud: habetur intentum. si secundum, deberent adversarij adferre aliquem textum ex quo talis collatio colligeretur, sicut e contra colligitur reservatio ex cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & remissionib. quod etiam est caput 21. Concilij Lateran. sub Innoc. III. & est relatum in Tridentino sess. 14. c. 5. in fine. [Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltim semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, &c. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sa-

cerdote, cum aliter, NB. ipse illum non possit absolvere, vel ligare.]

Ad argumentum suprà contra hanc Sententiam factum, facilis est responsio, non intervenire inutiles circuitus & ambages, sed necessarias ad rectè gubernandam Ecclesiam, & adhuc salvari propriè dictam Iurisdictionem delegatam, sicut esset Iurdictio propriè delegata, si Princeps causam ad se avocata committeret iudicandam vni ex Academicis Consiliarijs, quia committeret ei vices suas, ut suo nomine, (& non ex Officio cui de iure sit annexa Iurdictio, quæ dicitur ordinaria) iudicaret causam, alioquin à se iudicandam vi avocationis: ita etiam faceret Episcopus constituendo aliquem Religiosum Pœnitentiarium in sua Cathedrali Ecclesia. Vnde non est ad rem exemplum allatum à P. Dicastillo, ut consideranti patet.

CAPVT X.

DE SIGILLO CONFSSIONIS.

CONTROVERSIA I.

Quo iure sit hoc Sigillum introductum in toto suo rigore.

1016. **S**igillum hoc esse rigidissimum, & pro omni casu humana auctoritate indispensabile, sine consensu pœnitentis, ac præterea etiam se extendere ad alios quam Confessarios, nempe qui vel audiunt confessionem, vel à Confessario ex consensu pœnitentis consuluntur, vel interpretes agunt, adeoque esse longè vniuersalius quam sit Secretum naturale, quo quis ab altero obligatur, certum est ex perpetuo fidelium Sensu. Vnde ab illo rigore non eximit quantumvis magnum Reipublicæ detrimentum imminens ex observatione Sigilli, sicut eximit à Secreto naturali. Neque hoc debet videri grave Reipublicæ: non enim habuit Reipublica jus ad confessionis institutionem: quod si ergo non fuisset institutum hoc Sacramentum, Reipublica incurreret illud ipsum damnum quod incurrit ex observatione sigilli. Porro hoc sigillum non est solum primariò institutum in bonum privatum pœnitentis, sed etiam in bonum publicum, quia erat vel necessarium vel certè valde expediens ad bene gubernandos mores totius Christianitatis, qui sine tali sigillo non accederent cum ea confidentia ad hoc Sacramentum. Vnde non habet locum Regula, quòd bonum publicum sit præferendum privato, sicut habet locum in Secreto naturali.

1027. Quæstio est, an, supposità institutione huius Sacramenti, resultet obligatio sigilli cum toto suo rigore ex ipso iure naturæ, vel ex iure positivo divino, vel ex utroque.

Prima Sententia docet, dari hanc obligationem sigilli cum toto suo rigore ex solo iure naturæ, secluso etiam vltiore præcepto divino. Ità Gaspar Hurtadus, Dicastillo, & Lugo, immeritò pro se citans Henriquez, qui apertè stat pro contraria sententia.

Secunda Sententia est, totum rigorem huius sigilli compleri per præceptum divinum positivum, adeoque non esse adequatè iuris naturæ. Ità ceteri DD. communiter. Card. Pallavicinus non videtur reipsà ab hac sententia differre, licet spectato loquendi modo videatur aliquid singulare velle, his verbis. [Et quidem probabile est, hanc obligationem ex natura sua esse annexam præcepto confessionis, sed non adeo evidenter, quin opus fuerit, ut Christus eam promulgaret, quæ promulgatio habetur ex traditione Ecclesiæ.]

Censeo secundam sententiam esse veram, nam obligatio merè naturalis tam rigida, non ostenditur sufficienter ab auctoribus primæ Sententiæ, possètque semper verisimiliter responderi, si non accederet præceptum Christi; & mihi vix credibile est, quòd si solum præceptum naturale

X x x

esset,